

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**D. Gebh. Theodori Meieri Theologi & Prof. in Academia
Julia Antichiliasmus Absolutissimus**

Meier, Gebhard Theodor

Helmstadii, 1696

§. XLIX.

urn:nbn:de:bsz:31-105465

madv. §. 20. ubi dicit Autor: *Ergo, cum adhuc futura sit* (resurrectio illorum, qui ad Christum pertinent, in ejus adventu) & *solorum piorum est, universalis esse nequit, ubi ex hypothesis boni & malorum resurgent.* Pugnat hoc cum Assertione sextâ, ubi demonstratum est, cum piis etiam impios esse resurrecturos, & simul cum quintâ, ubi dictum & ostensum est, non dari piorum resurrectionem, præter illam, in quâ simul resurgent impii, nempe in adventu Christi, & denique contrathesin septimam & octavam, in quibus demonstratum est, quod resurrectio piorum in adventu Christi sit universalis, ita ut *omnes etiam impii cum illis resurgent, & quod non detur resurrectio mortuorum particularis, omnia vi dicti Joh. V. 28. Venit hora, in qua omnes qui sunt in sepulchris audient vocem ipsius, & prodibunt, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui vero mala fecerunt, in resurrectionem judicii.* Vellent quidem libenter hoc dictum Chiliaстæ ad extremam resurrectionem post M. annos trahere, sed nec ipsi nobis possunt ostendere quosdam, qui in illâ resurrectione ad vitam æternam resurgent, stantibus ipsorum hypothesisibus, cum omnes pie demortui illam resurrectionem (si qua futura esset M. annos post adventum Christi) jam anticipaverint. Nec Quakeriana hypothesis, de salute quorundam infidelium, utpote quæ falsissima fuit ostensa num. XVII. quicquam ipsos juvabit.

XLIX. Sed alia adhuc occulta hic Chiliaстrum latent mysteria, quæ ex ipsorum scriptis, utpote, in quibus omnia sua secreta non facile produnt, demonstrare quidem haud possum; at ex ore ipsorum imo ipsius D. Animadventoris pro concio-

ne dicentis, licet satis obscurè, quædam illis haud dissimilia audivisse probe memini. Unde illud falso sibi imputari, non uesturos spero Chilasticas. Docent quippe, etiam post mortem dari adhuc remissionem peccatorum, idç ex illo probare conantur, quod mortuis quoç Evangelium esse prædicatum afferat D. Petrus 1. Epist. IV. v. 6. & Christum Spiritibus in carcere prædicasse idem doceat 1. Petri III. 19. Videntur itaque illos, qui Joh. V. 28. dicuntur ad vitam resurgere, habere pro iis, qui convertentur post mortem, qui regnum chilasticum non ingrediantur, ad quod soli in fide demortui pertinent, finito autem eo ad vitam resurgent, ut ita resurrectio Joh. V. 28. manere possit illa resurrectio, quæ futura est M. annos post adventum Christi.

L. Non minus falsam autem esse hanc doctrinam, quam illam de infidelium salute, Scriptura S. evidenter docet. Ita enim hominum post Christum maximus: *Ascia jam arboribus posita est ad radicem, unde omnis arbor non ferens bonos fructus, excinditur & in ignem projicitur*, Matth. III. 20. Non dicit, quod steriles arbores post excisionem alibi adhuc sint plantandæ, ut ibi fructum ferant; sed statim eas in ignem projiciendas esse docet. Unde impii postquam mortui sunt, nihil nisi ignem aeternum expectare possunt. Neq; etiam, si post mortem peccatorum adhuc remissio daretur, longanimitati Deitribui posset, quod ille diem adventus Christi tam diu differat, velut facit D. Petrus 2. Epist. III. 9. & D. Paulus Rom. II. 4. ubi docet Deum dilatione pœnaruinos ad pœnitentiam ducere, nec eum velle, ait I. c. D. Petrus, ut quisquam pereat, sed ut omnes vertantur ad pœnitentiam, ubi oppositio satis ostendit, quod